

xi

cri Luci statem , eversionemque facile statuere possumus . Verum quum nondum omnia investigata sint , contiguumque prædium perscrutari quam primum in animo habeam , malui intacta omnia relinquere peculiari dissertatiunculae de *Luco Sacro Veterum Pisaurensium* , qua pro meis viribus illustrare conabor illa pene ignota numina , quæ in Inscriptionibus memorantur , omnes Luci ipsius partes , historiamque , signa , donaria , numismata , omnia denique , quæ in eo reperta fuerunt .

Supereft nunc , ut earum MSS. Collectionum , quas sæpius memoravi , ex quibus Inscriptiones , quæ perierant , restitutæ sunt , indiculum paullo accuratiorem contexam .

I. Ut ab antiquoribus exordium sumam , non parum Lucis attulit libellus , quem Memorie &c. inscriptis Hieronymus Arditius , Patricius Pisaurensis , qui anno circiter 1580. floruit .

II. Quotquot sua ætate Pisauri reperiebantur Inscriptiones servavit nobis Sebastianus Maccius Pisauri primum , mox Patavii humaniorum literarum Professor ; ejus tamen fides suspecta aliquando mihi est , seu quia decipere alios voluit , ut ab Acciis Pisaurensibus genus suum ducere videretur , seu quia ab aliis , ferione , an joco , haud scio , deceptus ipse vere fuit .

III. Magno mihi adjumento fuit MSS. Collectio Inscriptio-  
num Pisaurensium a Salvatore Salvatorio confecta anno 1628.  
cujus autographum habeo , quod ipse Salvatorius Nob. Viro  
M. Antonio Gozzeo nuncupavit , marginalibus ejusdem M.  
Antonii Annotationibus conspicuum ; idcirco Collectionem hanc,  
M. Antonii Gozzei collectionem sæpius appellavi , quod illi  
ad manus fuerit , ab eoque cum ipsis lapidibus collata , &  
pluribus in locis emendata . De duobus his clarissimis Civibus ,  
Patriæque amantissimis fusiis agemus Deo volente in libello  
*de Viris Illustribus Pisaurensibus* .

IV.